36

DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QUAM HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO

Septimo Kal. Junii MDCCLXXXII.

AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM

ALEXANDER COMPAGNONI EX COMITIB. MAREFOSCHI

PATRITIUS MACERATENSIS

COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ M.DCC.LXXXII.

EX TYPOGRAPHIA CHRACAS

SUPERIORUM FACULTATE.

BEATISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
PIO SEXTO
PONTIFICI MAXIMO

ALEXANDER COMPAGNONI
FELICITATEM

QUod nuper de Augustissimo TRINITATIS *Mysterio disserens, in Deo Uno, atque Trino Parentem nostri amantissimum, ac beneficentissimum recognovi, eundemque Fidei, Spei ac Caritatis officiis maxime dignum prædicavi; illud tibi,* BEATISSIME PATER, *quantum homini cum Deo intercedere potest similitudinis, commune esse libentissime fateor, gratulorque. Cum enim, quanta tibi in Terris Persona, ac procuratio divinitus mandata sit, quamque studiose, religioseque, nullis neque fractus laboribus, neque periculis territus, neque avocatus difficultatibus, verbo, opere, atque exemplo eadem perfungaris, recogito; hominem in te mirari jam desino, cum pro tui muneris ratione ad Deum, cujus optime vicem geris, propius mihi pertinere videaris. Quæ quidem omnia, quæ præstas, cum publico Ecclesiæ, sponsæ tuæ bono, omniumque Christi Fidelium institutioni, incolumitati, ac quieti devota sint; quis non te communem omnium Pa-*

rentem, Divina munificentia nobis datum, concessumque suspiciat, ac lætetur? Quanta autem Caritate in te se rapi quisque non sentiat, quem supremum veritatis magistrum, quem in Clavium potestate Cælestis arbitrum beatitudinis, quem vivam denique in Terris summi Boni imaginem confitetur? Atque hæ profecto totius Christiani Populi de Te sunt sententiæ; hæc de universi Fidelium gregis administratione judicia; hæc pro tua incolumitate omnium studia, atque vota. Quo vero potiori jure Parentem te optimum, tum nominari, cum diligi existimes ab iis, qui peculiari Divinæ Providentiæ dono temporali tuæ ditioni subjiciuntur? Quos tum re agraria adaugenda, tum levanda annona, tum vectigalibus minuendis, tum industria excitanda, tum liberalibus, mechanicisque artibus, litteris, ac scientiis omnibus revocandis, perficiendis, amplificandisque sospites efficis, ac beatos. Quod si de omnibus subditis tibi gentibus jure merito putari, atque prædicari potest; quanto potius de me, sodalibusque meis id ipsum vere existimabitur, qui pro initæ Palestræ ratione auspicatissima Tutela tua, eximiisque Beneficentiæ tuæ monumentis, neque paucis, neque veteribus, neque, ut spero, ultimis gloriamur? Verum, ut ad me redeam, Beatissime Pater, *quæ Majestatem tuam mihi in animum revocabat de Mysterio* Trinitatis *Oratio, ea omnino tua est; se seque tibi humiliter sistit, ac devovet. Quam cum pro Paternæ Caritatis tuæ consuetudine exceperis, sinuque tuo foveris humanissimo, tum te oro, obtestorque, ut me in genua provolutum, multa pro Pontificii Imperii tui diuturnitate, ac gloria precantem, Apostolica Benedictione prosequaris.*

ORA-



ORATIO

QUum pluribus, iisque maxime debitis, tum etiam attributa exprimentibus Divinitatis Deus Unus, & Trinus a nobis nominibus nuncupetur; tum hoc item ille ipse magnopere gaudet, quo totius Mortalium generis Parens, & appellatur, & colitur. Cum enim innumeris prorsus intus, forisque hominem beneficiis exornaverit, imo vero ipsam rerum Universitatem ejusdem beatitudinis quasi famulam, atque administram constituerit; quid est, quod tot, tantisque liberalissimæ benevolentiæ argumentis voluit intelligi, nisi illud, & Parentem se vere hominis esse, & hoc præ ceteris sibi nomen jure suo optimo vindicare? Quod si vero majora illa consideremus, quæ eidem homini fuerunt a Deo in posterum reservata (quæ profecto, non nisi qui habet, concipit;

concipere autem mens plena Dei tantummodo potest); quanto æquius illud sibi vocabulum, cum debitum, tum placitum esse cognoscimus? Siquidem sempiternæ liberorum felicitati beneficentissimus Parens voluit consultum; quæ quidem ut numeris omnibus jucunditatis, & gloriæ cumulata, atque expleta consisteret, sese illis perpetuo videndum, possidendum, ac veluti vitæ fontem potandum repromisit. Atque hoc etiam pluris æstimandum est, quòd homo per Adæ perduellionem ab innocentiæ statu dilapsus, atque a Dei consuetudine, conspectuque longe semotus, solum Parentis odium, justamque animadversionem sibi promerebatur. Admiremur igitur, si incolumes esse placet, paternæ Dei misericordiæ consilium; tum grato, lubentique animo iis præsertim operibus studeamus, quibus beatitudo nostra, Dei scilicet possessio continetur. Hanc autem cum Fidei, Spei, ac Caritatis virtutibus comparari probatum, certumqne sit, illud videamus, qua potissimum ratione easdem exercere nos deceat.

Ac primo quidem, cum infinitos benevolentiæ thesauros in homines effuderit Deus Parens (quo nomine non modo Parentis partes explesse, verum etiam longe produxisse putandus est); officio procul dubio, ac justitiæ hoc maxime debetur, ut omnibus erga illum liberorum muneribus homines accuratissime perfungantur. Quid igitur est tam æquum, quam ut illum credamus existere, quem, tum in rerum omnium Creatione, cum in nobis ipsis assidue præsentem sentimus? Quid tam consentaneum, quam ut in

illo

illo speremus, quem sese nobis in perpetuum pollicitum esse novimus? Quid tam denique necessarium, quam ut illum præ ceteris, ne nobis quidem exceptis, diligamus, quem paterna in nos flagrantem Caritate jam sumus, & Mundi initio, & in humanæ instauratione salutis experti, tum etiam quotidie experimur? At vero Deus eo loco nobis habendus est, quo pro Naturæ suæ Majestate hominibus se colendum præscripsit: Ens sane omnium perfectissimum, sapientissimum, beatissimum; Unus natura, Personis Trinus; omnis principium Creationis absque principio; rerum ordinis universi conditor, instaurator, ac Rector; hominum ne dum factorum, sed etiam cogitationum cognitor, ac Judex, eorundemque effector, atque exitus beatitudinis: quæ omnia, tum alia Deo propria, cum ex certa animi sententia crediderimus, Deique oraculum cuilibet humanæ rationis, ac sensuum testimonio præposuerimus, tunc quidem primum liberorum officium Parenti Deo nos probavisse gloriemur. Neque vero Fides injuriam inferre rationi censenda est, perinde quasi ingenitam illi cognoscendi vim auferat, alienæque auctoritatis subjiciat dominatui. Nullum enim, si sapimus, rectæ adversum rationi Mysterium divinitus nobis credendum proponitur. Quid autem de rebus humani ingenii excedentibus facultatem sentire, aut dijudicare possemus, nisi in imbecillitatis subsidium, ac complementum rationis opportune occurreret Fides? Quo demum æstuoso, & incerto, sive sperandarum, sive timendarum rerum in freto fluctuaret ani-

animus noſter, niſi illum in tuto divinæ Revelationis portu hæc eadem ductrix ſtabiliret? Quare cum & ad liberos pertineat, integram Parenti fidem exhibere; & utilitatis noſtræ ratio poſtulet, ut Teſti nos veriſſimo in animi fluctuatione committamus; cumque rationis vis non modo non imminui per Fidem, verum etiam adaugeri, ac perfici intelligatur: reliquum nobis eſt, ut tam proficuam animo virtutem perpetuis Religionis officiis foveamus.

Huic autem germana eſt Spes, e cælo procul dubio delapſa virtus, promiſſæ nobis beatitudinis nuntia, animorumque adverſitate labantium firmamentum, & columen. De qua, quid plura dicendo perſequar, quemadmodum noſtrum ſit, eam magis, magiſque excolendo inflammare, ac tollere in Deum, cum liberos non modo officium, & pietas, verum natura ipſa in parentibus bonis ſpes omnes commodorum ſuorum jubeat defigere? Ut enim paternus amor prono alveo deſcendit in liberos; ita liberorum ſpes ad parentem debet aſcendere. Cum igitur, quotquot vivimus, communem Parentem habeamus, cui nos, tum cordi fuiſſe, cum eſſe maxime firmiſſimis argumentis tenemus; minime dubitandum eſt, quin, cum eandem in liberos voluntatem etiam in poſterum ille ſervaturus Fide credatur, omnem quoque animorum noſtrorum fiduciam in eundem oporteat conferri. Quid, ſi ad hæc omnia divinæ quoque pollicitationes accedant? Quidquamne præterea deſiderabimus, ut ad Deum certa promiſſorum fide obſtri-

obſtrictum, tanquam ad Parentem, alacri animo confugiamus? Siquidem Deus ipſe exitum ſe, atque præmium peregrinationis noſtræ conſtituit; quæ, ne Carnis, aut Mundi illecebris irretita, aut dæmonis capta præſtigiis a recto tramite deflecteret, ſe, quaſi metam, in Ænigmate per ſpem cernendum collocavit. Neque vero illud dici, aut cogitari poteſt, Deum perperam tantum boni hominibus fuiſſe pollicitum: præter quam quod enim natura ipſe ſua ita verax, fideliſque eſt, ut neque fallere, aut falli, neque promiſſis unquam deeſſe poſſit; ſpondent utique, atque intercedunt pro nobis infinita Chriſti promerita, eo præſertim parta conſilio, ut ad vetera Divinæ hæreditatis jura delapſum hominem revocarent. Qua propter, cum certa poſſidendi aliquando Dei ſpes nobis conſtituta ſit, jam nunc vehementi ſtudio ſperemus; tum gratias, quantas poſſumus maximas, Unigenito Filio peragamus, qui, ut cor Parentis liberis conciliaret, hoſtiam ſemetipſum propitiationis obtulerit, ſuoque ſanguine Redemptionis noſtræ Chirographum obſignarit.

Quemadmodum vero, neque, ut par eſt, credimus, neque ſperamus ſtudioſe, niſi etiam ex animo amemus; Caritas proinde, ceterarum præſtantiſſima, ac Domina virtutum, iiſdem promerendi vim tribuat, neceſſe eſt. Cum enim, quidquid agimus, aut cogitamus, id ſui cauſa, atque ex benevolentiæ, qua illum proſequimur, ratione a nobis peragi, aut cogitari Parens amantiſſimus velit, ac per hoc unum jucunda ſibi opera no-

nostra fore profiteatur; quantum denique, si in humanis rebus hoc valet, in iis, quæ præcipua Fidei, Speique officia, Deumque ipsum spectant, causam amoris valituram esse censeamus? Igitur Caritate regatur Fides, ut, quæ Dei sunt, libenter, ac mordicus teneamus: alatur maxime Caritate spes, ut ad Divinarum pollicitationum metam toto animo quotidie contendamus: Ipsa vero Caritas nunquam intermissis a nobis actibus exerceatur, ut per novas Spiritus Sancti munerum accessiones statam sibi mensuram pertingens, ceteris quoque virtutibus vitam, atque incrementum impertiat. Quam vero amplam, & idoneam se se exercendi causam propositam Caritati videmus! Quem nobilissimum finem! Quod præmium cumulatissimum! Causa enim in eo sita est, quod, cum ante sæculorum exordia magnopere a Deo Parente dilecti simus, ab eoque ad summa quæque privilegia designati, nostrum omnino est, ultrò ab æternitate amantem inflammato studio redamare. Si finem porro Caritatis, quem *Objectum* vocant, attendamus; quid, quæso, illo dignius, nobiliusque esse potest, cum Deum ipsum, unum, & summum Bonum, deque homine mirifice benemerentem respiciat? Fructus denique Caritatis, ut paucis omnia complectar, talis; tantusque est, quantus ipse, qui per eandem acquiritur, Deus. Qua propter, si omnes prorsus virtutes, nostrorumque operum merita in sola Caritate solidantur, si justa, & accommoda illius causa, si objectum præclarissimum, si infinitum omnimode est præmium; quis non videt, quam necessario, quamque

que ſtudioſe in illam incumbendum ſit nobis, ut peramantes Divini Parentis liberi, ejuſque hæreditate digni judicemur?

At enim hæc eadem Fidei, Spei, ac Caritatis Chariſmata a Deo tantummodo proficiſcuntur: quo circa demiſſo animi ſenſu ab eo nobis vehementiſſime petenda ſunt. In quo quidem illa nos cogitatio ſolari debet, quòd res nobis maxime neceſſarias a Parente munificentiſſimo petimus. Poſtulemus igitur Fidem a Deo Patre, ut, cum ille æternæ generationis Principium ſit, tum univerſarum rerum opifex, & Gubernator, Divinorum Myſteriorum, ac repromiſſionum ſuarum firmitatem tueamur. Spem depoſcamus Filium, ejuſdem potiſſimum Spei inſtauratorem ſapientiſſimum, ut a terreſtrium bonorum cupiditate animum revocantes, in cæleſtium, quæ nobis ipſe recuperavit, contemplatione defigamus. Ut autem (id quod actionum conſtituit virtutem) Religionis, quotquot gerimus, opera probemus Deo, Caritatem Paraclitum flagitemus, quippe qui, cum mutuæ Patris, & Filii dilectionis ſpiratio ſit, ſuaviſſimum Caritatis ordinem moderatur. In omnibus vero Trinitatis Perſonis quemadmodum Parentem unum noſtri amantiſſimum recognoſcimus; ita nos illi per accuratam munerum noſtrorum reſponſionem gratos, fideleſque liberos præbeamus.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. A. Marcucci Patriarcha Costantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Praedicatorum Sac. Palatii Apostolici Magister.